

ATHERINAM, Graeci Ἀθερίνην, et per pleonasmum literae ν Ἀθερίνην, seu α transverso, quem alterum Atherinae genus in ventre habet aculeo, quod Gillio placet; seu ab aristis (ἀνθήρις idem est quod ἀθήρις, id est, aristis, pars spicae acuta, seu ut Erotianus explicat, tenuissimum illud, quod in hordeo acuminatum est) per metaphoram pro spina sumpta, quas multas et Sardinis duriores Atherinae habent, quod Rondeletius voluit, dicunt. Possit et ab ἀθερίζεν, quod pro καταφρονεῖν, floccipendere et contemnere deduci, quod nimirum ἀθερίζονται πως καὶ αὐτὴ διὰ τὸ εὐτελὲς ob uilitatem negligatur. Gaza Aristam et Aristulam vertit. Callimacho, in nomenclaturis diversarum gentium ἰκτίρα et ἰκτίρη, sine dubio a parvitate, (ἰκτίρη Adverbium Graecis sonat prope) vocatur, Romanis Laterina. Quid per suum Acerinam Plinius Medicus intelligat, difficile est dicere. Bellonius recentiorum Cernuum esse credit; ego mendum esse, et Atherinam legi debere iudico. Descriptionem si attendas, ita de eo Rondeletius. Pisciculus est marinus, litoralis: reperitur et in marinis stagnis, Aphyis similis, dodrantali magnitudine, parvi digiti crassitudine, dorso spisso, ventre leviter depresso, ore parvo sine dentibus, oculis magnis. Colore est vario: nam venter argenteus est, dorsum fuscum, circa caput ex flavo rubescit, Sardinarum modo. Locus, qui inter oculos est, caelatus videtur. Pinnas habet quatuor, duas ad branchias, duas in ventre, aliam a podice, praeter has, alias duas in dorso. Omnes candidae sunt. Cauda duabus pinnis constat. (contra ostendit apposita icon.) Pro linea medio corpore a branchiis ad caudam protensa, spissum quid habet sub cute, quod non possum aliter quam fasciam per similitudinem vocare, quae cum cocta Atherina editur, evidentissima est, et cum lumini objicitur; quia reliquo corpore pelluci-

da est, hac parte opaca. An Aphyae Meletae mas sit, quod piscatores credunt, dubito, tum quod illae sine mare et foemina nascantur, hae distinguantur sexu: tum quod mollissimo et depresso corpore sint illae; istae solidius et spissius habeant. Bellonius suum, quem vulgus Graecum, Romani Latharinum, Massilienses Sencle vocant, ita describit. Pisciculus est digiti crassitudinem excedens, neque extenso digito longior: Argentei coloris, translucente corpore, et quod soli objectum, ut vitrum transpareat, lineamque ostendit interne obscuram, rectam, a capite ad caudam, a sanguine, qui in spina profunditur, proveniente. Oculis est grandibus, lingua candida. Pinnam utrimque in lateribus et geminam alteram habet sub ventre, quae piscem in partes aequales secat: ac praeterea tenuem aliam, et parvam fert in medio tergore pinnulam. Caeterum Cor gerit, ut semen oxalidis triquetrum et oblongum, pericardio perbelle inclusum: branchias utrimque quatuor: Costas, item utrimque decem omni capillamento teneriores: vertebrae adeo exiles, ut vix ab acie oculi perspicacissima discernantur.

Pascuntur in algofo littore, ἀνά πα- Oppian.
ρασέσσαν ὑπὸ χλορεαῖς βοτάνῃσι, ut Hal. l. i.

Oppiani verbis utar. Quam Rondeletius descripsit, non tantum in vicino Monspelio mari, ubi Melet dicitur, sed et Massiliae, et in stagno quod Martegne vocatur, frequentissime capitur, et nomen Senclez obtinuit. Aristoteles gregales facit, eodemque teste inter Rhyades circa Aethi- Arist. H. A.
l. 6. c. 17.

aequinoctium vernum πρὸς τῇ γῇ juxta terram, alvum arenae atterentes pariunt. Vilem in cibo Phavorinus fecit, et contemptum; delicatissimum suum Rondeletius, nisi spinae negotium facerent. Bellonius quoque quaestuosissimam suarum ob suavitatem piscationem scribit.